



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von
Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. 2. de foro Compet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

non nisi species jurisdictionis distinctas respicere, quia ab una specie exercitium unius actus recte extenditur ad actus alios ejusdem speciei; sic si quis per prescriptionem acquisivit unum actum, recte extenditur ad ceteros actus ejusdem speciei. *Alexand. consil. 68. n. 18. vol. 2.* Nisi tamen alius esset in quali possessione aliorum actuum, tunc enim actus unius speciei non posset extendi ad ceteros actus, eò quod videntur esse omnino à se invicem separati. *Balb. de prescript. p. 2. q. 2. nu. 22. & seqq. Bronch. cent. 1. misc. assert. 9.*

AD TIT. II.

De foro compet.

Ad finem numeri primi adde: Realis regulariter locum habet in criminalibus, ne facinorosus fugam arripiat, regulariter tamen requiritur ut præcedat mandatum Judicis. *l. 3. c. de exhib. reis.* Ratio est quod ab executione inchoandum non sit, nisi tamen quis in flagranti crimine deprehendatur, vel sit suspectus de fuga, quia talis mox sine ulla commissione ulteriori capi potest per L. ait Prætor 10. §. si debitorem ff. Quæ in fraud. credit. in causis civilibus autem regulariter est prohibita. *un. C. de prohib. sequestr.* Eò quod inverso juris ordine sumatur exordium, excepto tamen si debitor sit suspectus de fuga, quo casu etiam in causa civili propria auctoritate debitor potest detineri, maxime si forensis sit. *Peckius in Tractat. de jure sist.*

A. finem numeri secundi adde: Citatio autem continere debet Primò nomen citantis, ut sciatur an habeat legi-

timam personam. Secundò, nomen Judicis citantis, ut sciatur an ille qui citat sit Judex competens, si enim esset incompetens, impunè citanti non pareretur, citatus tamè ad Judicem incompetentem comparere tenetur, & suam exceptionem si quam habet Judici exhibere, *tot. tit. ff. si quis in ius vocat. noverit.* Tertiò, locum Judicii, ut sciatur an locus sit tutus, quod tamen intelligendum est tantum de judicio delegato, quia si quis citetur ad tribunal ordinarium & nihil exprimitur, censetur quis ad locum solitum citatus, *L. si locus 59. ff. de judic.* Quartò, citatio continere debet nomen rei, sive ejus qui citatur, ut citatus positivè sciat se vocari ad iudicium. Quintò, causam ob quam citatur, ut sciat semper quare conveniatur. *Clem. 2. ut lito non contest.* Sextò, diem & terminum, ut citatus sciat diem ad quem vocatur non esse feriatum. Debet autem citatio fieri per apparitorem, qui si dicat se ex mandato Judicis citare, fides ei adhibenda est ex communi praxi. *Marant. p. 6. §. citatio num. 52.* Hoc etiam extra questionem est, quod, si apparitor dicat se citationem fecisse, ei omnimodè credatur, tum quod deponat de facto proprio, tum etiam quod electa in hoc sit ejus industria, adeoque pro ipsius dicto præsumitur. *Gail. lib. 1. obs. 54. num. 4. Menoch de arbitr. casu 112.*

AD TIT. III.

De libelli oblat.

Ad finem numeri primi adde: Libellus alius est articulatus, alius simplex. Articulus est, qui continet in se

B 3

plus